Q. B. F. F. Q. S.

AUCTORITATE

ET SUB AUSPICIIS

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI

FRIDERICI GUILIELMI,

PRINCIPIS ELECTORALIS ET CONSORTIS REGIMINIS HASSIAE ETC.

AD

NOVI PRORECTORIS

INAUGURATIONEM

DIE XII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLI

CONCELEBRANDAM

INVITAT

PRORECTOR MAGISTRATU ABITURUS

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN,

PH. DR. ET PHILOLOGIAE P. P. O. SEMINARII PHILOLOGICI DIRECTOR ET
BIBLIOTHECAE ACADEMICAE PRAEFECTUS SECUNDARIUS.

Insunt analecta catalogi codicum bibliothecae academicae latinorum.

MARBURGI,
TYPIS BAYRHOFFERI ACADEMICIS.

Quum ante hoc triennium primo prorectoratu fungerer, programmatum scribendorum officio, quod cum propriis illius magistratus muneribus aegre conciliabatur, ita me facillime satis facturum arbitrabar, si catalogum codicum bibliothecae nostrae latinorum, quos dudum in meos usus diligentius descripseram, denuo recognitum meisque qualibuscunque observationibus auctum edidissem; neque vanam eam operam fuisse et privatis doctissimorum hominum literis et publico judicio Friedlaenderi, viri harum literarum peritissimi *) non sine voluptate perspicere mihi visus sum. Multa tamen etiam illi libello deesse nec tunc me fugiebat, quum recenti festinationis et variarum confusionum memoria lectorum veniam expeterem, nec nunc dissimulare licet, postquam et ipse codicibus identidem tractatis et ab humanissimis quos modo memoravi viris admonitus tot errores deprehendi, quot tum vix praesagire, nedum vitare in tanta laboris ruditate potueram; praeterea post illud tempus novorum aliquot codicum accessione aucti sumus, quibus ipsis

*) In Jahrbb. f. wissenschaftl. Kritik 1839, T. I, p. 342 sqq.

confirmatum est quod in superioris libelli praefatione suspicabar haud exiguum librorum numerum, quos ex bibliotheca Corbejensi in nostram transire oportuerit, nescio quo fato in privatas manus pervenisse nec nisi singulari possessorum liberalitate jacturam quam ea re fecimus resarciri posse. Quoniam igitur nova eaque gratissima commentationis scribendae occasio oblata est, qua finem iterati magistratus indicam successoremque rite creatum civibus commendem, propter easdem rationes, quae me olim ad ipsum hoc argumentum eligendum moverunt, commodissimum fore duxi, si omnia, quibus nunc quidem illius libelli defectus supplere possem, et meis ex schedis et ex amicorum literis colligerem eoque facto si quid illic deliquissem pro virili parte compensare conarer; quae quamvis in similibus temporis negotiorumque angustiis non majorem perfectionem aut limam omnibus numeris absolutam sperari patiantur, tamen et me ipsum non nullius culpae conscientia absolvent, et illis, qui vel rudiorem operam tanta cum aequanimitate et benevolentia acceperunt, quodam modo deberi videbantur.

CLASSIS PRIMA.

A. 1. De codice Lucani haec tradidit C. Fr. Weberus in edit. a. 1831, T. III, p. XXXIX: *Marpurgensis codex in membranis quaternis formae oblongae, bene nitideque, ni fallor, saec. XIII exaratus . . . continet Pharsaliam cum singulis glossis, per priores tres libros conspicuis, scholiisque, quae ab alia manu atque glossae scripta, plerumque argumenta singulorum locorum continent, unde nihil frugi petere possis. Nonnulla tantum ab initio libri IX vidi, quae alia praebent . . . commemorat codicem, praeter Oudendorpium, Hirsching Beschr. d. Biblioth. T. II, p. 246.* Ipsa poëtae verba quoniam et a Schminckio et a Cortio minus accurate collata esse videbantur, ab integro diligentius excussi et comparavi cum editione Cortii a Webero publicata Lips. 1828, qua de re pluribus disputavi in prooemio Indicis lectionum per semestre hibernum 1841 — 42 habendarum; in extremis demum duobus libris, qui haud scio an ipsius Weberi potius quam Cortii opera collati sint, vix quidquam supplendum inveni. De origine codicis inde fortasse conjectura fieri poterit, quod in tegumento duae literae exstant altera a Leopoldo Austriae duce data *ze Tann anno domini etc. nonagesimo nono*, altera Johannis de Sulz Judicis curiae Rotwilensis data a. 1458, utraque ad comites Laufenses *(Hanns von Luphen* et *Hainrich von Luphen lantgrave zu Stulingen)* spectans, unde facile colligas hunc quoque ut B. 17 et alios olim in Helvetiae regionibus asservatum fuisse.

A. 2. Hujus codicis jam collationem exhibet programma G. F. Eysellii: Variae lectiones, quas ex codice Justini Marburgensi nunc primum collato exscripsit, Rintelii 1840. 4. Eundem tamen nunc maxime iterum tractat Fr. Guil. Otto, Phil. D. et collaborator seminarii philologi Gissensis, vir latinarum literarum inter paucos gnarus, qui quamvis sero tempore tamen ex optimo et antiquissimo libro membranaceo descriptum censet multumque inde ad verba scriptoris emendatius conformanda rediturum spondet. Atque hoc quidem ab illo propediem pluribus illustratum iri speramus; nunc glossarium tantum, quod in fine codicis adscriptum est, cum utriusque nostrum emendationibus subjeci; cujus etsi plurima pars cum Festi, Isidori, Placidi glossis convenit, germanica certe vocabula, quibus passim distinctum est, eo magis nos advertunt, quia ex eorum formis simul etiam aetas illius codicis, unde noster descriptus est, existimari poterit:

Amurca . olei fex
Amula . fiala ansas habens *)
Allego astruo .i. affirmo
Ambro deuorator
Astipulator .i. promissor .l. attestator
Apage .i. abscide (l. *abscede*)

---

*) Alias *hamula*, forma diminutiva *hamae*, quod est vas ad aquam hauriendam; cf. Juvenal. XIV. 305 c. intpp.

Athleta kempho *)
Arduum stehal
Badius equus .i. rubicundus
Ballena .i. species piscis
Cataclismus . diluium (l. *diluvium)*
Consus et Cossus . consiliorum deus
Cheruca linea illa ad quam nauibus uela suspenduntur **)
Carismata . dona gratiarum ***)
Chatus . felge ****)
Contignatio zimber
Decerpere . cluben
Energumus insaniens demonios †)
Eustigio statim subsequenter ††)
Exentero ventrem aperio sthurpho †††)
Emancipo .i. manumitto libertatem do
Eukaristia . bonum donum
Filargiria amor pecuniae
Filologus amor rationis
Futilis . homo nichil celare ualens
Facessat desinat
Gippus honor ††††)
Grauitas morum maturitas modestia ponderositas corporis crassitudo
Glicon dulcis inde glicerium
Glaber caluus . leuis barbam non habens

---

*) Hoc est germanicum *Kämpe*, ut mox *stehal* i. q. *steil.* — **) L. *cerucha* vel rectius *ceruchos* h. e. *κεροῦχος*, cf. Lucan. VIII. 176; X. 495 etc. — ***) *Χαρίσματα* ut mox *εὐχαριστία.* — ****) Lege *cantus;* cf. Graff. althochd. Sprachschatz T. III, p. 505. — †) Graecum est *ἐνεργούμενος*, i. e. *δαιμόνιος*; cf. Suicer. Thes. eccles. p. 1115 sq. — ††) Lege *e vestigio.* — †††) Ottoni videtur legendum esse *scurpho* h. e. *schürfe.* — ††††) Num *honor* pro *onere?*

Inclusor qui gemmas includit auro

Luscus *(explicatio deest)*

Lugrubro uigilio *)

Nosochomium domus ubi egroti homines curantur **)

Nancer de scorto natus ***)

Nomenculator nominis scissitator incaleare dicebant antiqui clamare ****)

Olosericum totum de serico

Orpanotrobium domus ubi orphani aluntur

Oriia subtilis farina, simila *****)

Ornus arbor †)

Olfacio odoror

Optentus occasio

Orputa .i. tabula ubi recitentur mortuorum nomina

Platon latum

Priuatus gesuaser ††)

Ptochium dispensatio pauperum

Papilio eruca uel fermis uolans (l. *vermis volans)*

Perosaccum .l. follis .l. lacum †††)

Pupa simulacrum puellarum .i. tocha ††††)

Plantago wegrich

Pilum stamph

---

*) Lege *lucubro: vigilo.* — **) Lege *nosocomium*, *νοσοκομεῖον*, ut inferius *ὀρφανοτροφεῖον* et *ὁλοσηρικόν*. — ***) Lege *mancer* h. e. spurius; cf. Carpentier Glossar. T. II, p. 1142. — ****) L. *sciscitator* et *calare*. — *****) L. *oriza*, *ὄρυζα*, genus subtilissimae pollinis id est farinae, cf. Dufresne T. II, P. 2, p. 756. — †) Sic mihi legere videbar; Otto germanicam vocem subesse suspicatur *limbom* vel *linbom*, cf. Graff T. III, p. 118. — ††) Num *gisuaso* i. e. familiaris, domesticus? cf. Schilteri Glossar. p. 773. — †††) I. q. *sacciperium* apud Plaut. Rud. II. 6. 64, a. *σάκκος* et *πήρα*. — ††††) Germanicum *Docke* i. e. *Puppe*, ut mox *stamph* pro *stampfe* i. e. *Stössel* in mortario etc.

Precluus .i. ualde gloriosus
Pyramida *(explicatio deest)*
Pastoforia vorzaichen *).

A. 3. De hoc codice operae pretium esse duxi, si integra subjicerem, quae Friedlaenderus in censura superius laudata erudite disseruit p. 343: *In diesem Miscellancodex sind besonders die Stücke b. c. d. interessant. Dafs Guarinus von Verona die Plutarchische Schrift περὶ παίδων ἀγωγῆς übertragen (man hat das bezweifelt) beweist am Besten sein Brief an Bartolomeo von Monte Pulciano, in welchem es heifst:* ex Plutarcho traduxi aliud opus de libris educandis, meo quidem judicio elegans; *dafs er aber aufser dieser auch die Schrift πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου übersezt und sie dem geliebten Leonello von Este gewidmet, endlich aber die sogenannten kleinen Parallelen hinzugefügt, geht aus des befreundeten Johann Cesinge Lobgedicht hervor, als einem Zeugnisse des Mannes, der ja auch von den moralischen Schriften des Plutarch einige übersezt hat; daselbst heifst es v. 729:*

sive alterna ducum committit facta priorum
sive rudimentis pueriles instruit annos
blandus adulator rigido quid distet amico

(ed. Traj. 1784. I. 41). *Die dritte Schrift war, beiläufig gesagt, ein Gastgeschenk für Jacobo Lavagnolo; dafs die beiden andern Uebersetzungen*

---

*) Cf. *Pastoforia phorzich* in Graffii Diutiska T. III, p. 147 pluraque in ejusdem Sprachschatz T. III, p. 351. Est *porticus* sive atrium templi; cf. Dufresne T. III, P. 1, p. 136.

des Leonardo Aretino, der Xenophontische Hiero und des Basilius ad nepotes de legendis libris saecularibus opusculum, *in andern Handschriften anders betitelt, auch in der Marburger Handschrift, wie in allen von Mehus allegirten italiänischen, sich zusammen geschrieben befinden, möchte dann weniger befremden, wenn man weiſs, daſs sie die Primitien der Uebersetzerthätigkeit des Leonardo sind, daſs er sie noch unter Chrysoloras Augen zu Florenz gefertigt und im Jahr 1403 vor dem sechzehnten Mai beendigt hat. In seinem Briefe an Niccolo Niccoli nennt Leonardo beide* primitias suorum studiorum graecorum, *und Poggio sagt von der Schrift des Basilius, daſs sie der Freund übersezt,* cum adhuc graecis auctoribus Florentiae vacaret. *Daſs beide Bücher auch bei dem Unterricht in Bologna benuzt wurden, wie anderwärts, beweist die von dem Verf. mitgetheilte Rubrik:* per Gregorium, Bononiae 1470 *). *Beide Schriften zusammen finden sich unter andern auch* Bandini Bibl. Med. T. III, p. 629. Plut. LXXXX, Cod. 52 *und* p. 641, cod. 57.

A. 4. Inter libros impressos inveni folia undecim et dimidium manu scripta cum grammatica Nicolai Perotti et aliis similibus uno volumine conjuncta, quod et ipsum *ex libris S. Thomae in Bursfeldia* ad nos pervenit. Seram originem praeter literarum ductus vel hoc prodit, quod initium in postica parte extremi folii tractatus impressi *de generibus pedum et metrorum* scriptum

*) Ita tum scripseram; nunc iterum inspecto codice haud scio an rectius legatur 1450.

est, quem circa finem saec. XV editum esse suspicor; non tamen est cur ipsos libellos, ut passim factum esse constat, ex impressis descriptos esse censeamus, quapropter nec hoc loco indigni visi sunt. Primis tribus foliis cum dimidio legitur *Donatus de barbarismo* et *soloecismo*, tum *de metaplasmo* et *de schematibus*, qualis exstat apud Putschium p. 1767 — 1780, cum exigua varietate lectionis, v. c. *in poemate vero methaplasmus*, et: *barbarismus fit duobus modis scripto et pronunciatione*, ubi Putschius inverso ordine *pronuntiatione et scripto*; deinde: *schemata lexeos et dianoeas sunt quedam figure verborum et sententiarum sed schemata dianoeas ad oratores pertinent ad grammaticos vero lexeos* etc. Tum per quinque folia sequuntur ab alia manu *colores rethoricales cum concordanciis figurarum grammaticalium collecti per magistrum venerabilem Engelbertum Leydis*, qui haud scio an idem sit, qui *Cultrificis* cognomine ordini Praedicatorum adscriptus *epistolam declaratoriam et defensoriam jurium et privilegiorum fratrum mendicantium* edidit *); incipiunt: *Gramaticales figure velut augistinus perhibet ad scripturarum intelligentiam permultum conferunt* etc.; extrema haec sunt: *et per hunc colorem euangeliste passionem christi egregie demonstrarunt In scriptione vite cuiusquam sancti vel alterius apud omnes historiographos celeberrime practicatur etc.* Postremis tribus foliis continetur *Tractatus de mensura sine consonancia Rhithma que in prosa dilectationem retinet et dulcorem etc.* hoc prin-

*) Ejusdem certe Hainius Repert. Bibliogr. T. I, P. 2, p. 214 affert *tractatum colores inscriptum de elegantia compositione dignitate* impressum Goudae s. a.

cipio: *Rhithma est consonacia dictionum in oratione positarum secundum distinctionem accentuum et debitam mensuram earundem*, cujus aliquot specimina exhibere libet, ut tirones discrimen intelligant, quod medio aevo inter carmina metrica et rhythmica statuebatur *):

Iste est Rhithmus Spondaicus simplex bimembris

stat maria	uel: evitare
cecis via	et calcare
maris stella	mundi fenum
dei cella	malo plenum

Et dicitur spondaicus quia eius penultima sillaba est longa Et est bimembris quia est duorum membrorum

Sequens rhithmus est spondaicus simplex quadrimembris et octo sillabarum

Salus mundi et regina
Aurem tuam huc inclina
A tabe me serpentina
Purga mundum fac festina

---

*) De re ipsis quidem literatoribus satis nota unum tantum judicium affero Imm. Huschkii in Comm. de C. Annio Cimbro, Rostoch. 1824. 4, p. 73: *hoc interim tempore intercesserant illi versuum similiter in fine sonantium conditores, quorum antiquissimus auctor exstat Ambrosius, ut magno argumento sit, hujus rei originem repetendam esse a Patribus ecclesiasticis et monachis, qui ut memoriae plebis latinae linguae non assuetae in canticis ediscendis repetendisque succurrerent, illum rhythmicis suis carminibus adhibuerunt syllabarum in versuum fine concentum, qui deinde cum arbitraria syllabarum mensione occupavit et adhuc occupatam tenet universam gentium barbararum poësin. Cumque in dies res ita invalesceret, ut nullum carmen scriberetur nisi metro neglecto rhythmicum, ei autem perpetuo adhaeresceret ille syllabarum tinnitus, sine quo ne cogitari quidem posse videretur, factum est ut Rhythmus nunc universe de carmine nunc specialiter de carminis diceretur ὁμοιοτελεύτῳ: quare hujus vocis duplicisque significationis vestigia impressa cognoscimus omnibus populorum ad quos latina lingua penetravit dialectis* etc. Plura dabit Laur. Santenius ad Terentianum Maurum p. 197 sqq.

Celi decus et lucerna
Tronus regis lux sempiterna
Angelorum laus eterna
In hoc solo me iuberna

Iste est rhithmus iambicus bimembris 7tem sillabarum

Aue vena venie
fons misericordie
castitatis lilium
trinitatis solium

Et est Iambus penultima namque correpto accentu pronunciatur.

Finem haec faciunt: *Et sic breviter de modis rhythmorum dicta sufficiant pro quo ihs cps* (Jesus christus, non episcopus; nota corrupta ex XPC) *marie filius eternaliter glorificatus laude infinita existat benedictus Amen.*

A. 5. Ex integumento Corporis juris canonici, quod inter libros bibliothecae nostrae insignitur XVIII d B 867, detracta sunt duo folia membranacea formae octonariae saec. XIV minutissimis literis conscripta, quibus continetur pars fabularum elegiacarum, quae ab aliis ad alium medii aevi poëtam relatae plerumque ab editore a. 1610 *anonymi Neveletiani* nomine appellantur *), cum glossis a manu saec. XV additis, sed propter atramenti pallorem vix amplius lectorem admittentibus. Incipit fragmentum a fab. XXIV, v. 6 et pertinet usque ad fab. XXXV, v. 4, non tamen

*) Cf. Fabric. Bibl. lat. ed. Ernest. T. II, p. 26 sqq. Lessing zur Geschichte und Literatur T. I, p. 43 sqq. Ind. lectt. Cracov. a. 1827 — 1828.

sine insigni lectionis varietate, quam cum edit. Bipontina Phaedri p. 201 sqq. comparatam integram subjicere visum est:

Fab. XXV. 1 gemituque — 4 dicitur et trepidant et prope stare cauent — 6 qui timor ante fuit — XXVI. 7 lac dulce propinat — 10 in tergo — 12 iungar in ore — XXVII. 4 pedem — 5 exit inhertes — 6 elumbem dominus — 7 me mea pertulit — 9 defendat — 13 marcidus annis — 14 de ueteri est — 16 turpe senem *omisso* est — XXVIII. 4 semianimes *) — 10 suggerit illa fugam — 11 sic timeat — 13 speret qui timuit — XXIX. 4 ne sit — 8 caprizes — 10 quam uideo — XXX. 1 nouerat anguem — 5 Vulneris actor — 8 memoret uulnera scripta — 9 item ledit — 11 piguit — XXXI. 3 paret timor ista iubenti — 7 cogente lupo quaecunque — 9 timor in portu — 10 nil fidi — XXXII. 3 uicina iocari — 7 ledi ludens ut ludat — XXXIII. 3 cum bibat ista cibos solum bibit illa dolorem — 5 mora pauca dies — 7 uasi uitreo — 12 zelo — 13 cauebis — 14 ne facias — XXXIV. 1 lepus *sed correctum* lupus — 3 hoc caput alterno — 4 o sine voce caput —

Praeterea eadem manus tres versiculos margini adscripsit, qui fortasse etiam propius ad scripturae tempus stabiliendum perducere possunt:

Ecclesie nauis titubat petri quoque clauis
Errat . rex papa facti sunt unica capa.
Hoc faciunt: do des . pylatus hic alter herodes.

A. 6. Denique etiam *Prisciani* fragmentum commemorandum est, quod reperi in postico integumento tertiae partis operum

*) Haec sine dubio vera lectio est, modo in antecedenti versu pro *se mergere pacti*, quod nihili est, rescribamus *in margine prati.*

beati Ambrosii, quae inter libros nostros numerantur XIX a. B 47, satis ut videtur antiquum ex codice membranaceo saec. X vel XI formae maximae, sed bibliopegi manu foede circumcisum. Quae supersunt incipiunt a verbis lib. XVIII, §. 286 ed. Krehl. *nostri quoque inveniuntur*, finiuntur verbis §. 294: *ὑπὲρ τοῦ μή*: scripturae varietas plurima, cum Putschii praesertim editione comparata, in omissionibus cernitur, quarum aliquae certe librarii negligentiae tribuendae sunt, qui §. 290 post *τηλικαύτην* vel integram lineam propter homoeoteleuton omisit, eademque causa esse videtur, quod §. 287 habet *τα λεγομεναι ποιητου*, §. 288 *nostri quoque huic illud est*, moxque *hic enim absolutum*, §. 289 *interea gregibus*, §. 291 *mereo mereor*, §. 292 *quam libertate* etc. In aliis vero ipse plus habet quam editi, utque mittam verba §. 291 *τιμῶ* (noster *τιω*) *καὶ τιμῶμαι τὸ ἀδίκημα*, *nos lis aestimat*, quae apud Krehlium potius per incuriam excidisse videntur, etiam §. 288 extr. exhibet *in activa significatione ponitur*, et §. 292 *τί μοι δεῖ τούτω* (sic), quod tamen etiam apud Putschium est, sicut omnino saepius Putschianae quam Krehlianae lectioni favet, ut §. 286 *conscius sum mihi* et §. 288 extr. *hoc in activa* etc. Proprium ipsi est et §. 287 *et multa alia* pro *similia*, et §. 289 *et ἐν τοσούτῳ* pro *vel*.

CLASSIS SECUNDA.

B. 1. Choulantus, Professor atque Archiater Dresdensis, vir clarissimus neque eruditione magis quam humanitate illustris, quem transmisso exemplari prioris catalogi per literas rogaveram, ut si quid de libris illic descriptis addendum aut corrigendum haberet candidus impertiret, de *practica graduum* nec sibi quidquam amplius innotuisse respondit. Ab Alckindi libro de *gradibus medicinarum compositarum*, cujus ille meminit Bücherkunde p. 153, ambitu pariter atque argumento prorsus diversa est, si quidem ab initio fere usque ad finem de singulorum medicamentorum virtutibus agit, quorum indicem folia chartacea posterius agglutinata exhibent, laudatque *Dioscoriden*, *Rufum*, *Alexandrum*, *Stephanum*, quos ille nusquam commemorat. Ipsius libelli finem facit *gargarismus preciosissimus ad deponendum flegma capitis et thoracis*; deinde ab alia manu recentiori adscriptum est: *in epistola Dioclis quam scripsit ad Antigonum regem eadem leguntur*, quae tamen haud scio an ad sequentem epistolam Hippocratis ad Maecenatem pertineant; cf. Paul. Aegin. de re medica l. I extr.

B. 2. Galeni locus in *ἰατρικῇ τέχνῃ*, quem subscriptio codicis respicit, legitur T. I, p. 410 ed. Kühn.: *εἰς δὲ τὰς προγνώσεις χρησιμωτάτη μάλιστά ἐστιν ἡ περὶ τῶν κρίσεων πραγματεία· προηγεῖται δ᾽ αὐτῆς ἡ περὶ τῶν κρισίμων.*

B. 3a. Suspicionem de Rhaze hujus libri scriptore confirmat Choulantus, qui principium corruptum ita legendum esse docuit: *verba abubecri filii zachariae arrazi* etc. Cf. jam etiam Wüstenfeldi Gesch. d. arab. Aerzte, Gött. 1840. 8, p. 40 sqq. De interprete latino haec disputavit Friedlaenderus: *Die Bearbeitung des liber divisionum möchten wir, abgesehen von Arisi I. 269, auf Grund des Zeugnisses des Francesco Pipino bei Muratori VII. 662 dem Gerard von Cremona, eigentlich Sabionetta, nicht dem Spanier, zuschreiben, und das vornehmlich gestüzt auf die medicinischen Handschriften* T. II, Plut. LXXIII. Cod. XXII, p. 95, *wo denn das:* in Toleto, *Beachtung verdienen möchte (vgl.* T. V, p. 586 *und* T. III, p. 48. 250 Leopold. II, p. 14, cod. 14. 4 *u.* Möhsen Mscpt. med. Berol. p. 46). *Auffallend bleibt es, dafs Gefsner, der aus Symphorianus Campegius arbeitete, des henricpetrischen Druckes des Buches (1544) nicht gedenkt.*

B. 3b. Carmen *de nominibus et virtutibus balneorum* Choulantus idem esse affirmavit quod alibi *Alcadini* sive *Eustatii de Matera de balneis Puteolanis* appelletur, seque de illo homine in nova editione bibliographiae suae disputaturum promisit, quam tamen nondum videre contigit. — Albertum Theoconichum i. e. Teutonicum idem monuit esse Albertum episcopum Ratisponensem, qui vulgo Magnus nominatur, papamque illic commemoratum Gregorium X, a quo ille ad synodum Lugdunensem appellatus est. — Timaei denique interpretatio latina est Chalcidii, cujus etiam edita exemplaria desinunt in verbis ἀλλὰ γὰρ ἐπεὶ μετέ-

χετε τῶν κατὰ παίδευσιν ὁδῶν δἰ ὧν ἐνδείκνυσθαι τὰ λεγόμενα ἀνάγκη, συνέψεσθε, mirumque est ne Aristoteli quidem jam extremam illius dialogi partem praesto fuisse videri, cf. de gener. et corrupt. II. 2 nosque Gesch. u. System d. platon. Philos. T. I, p. 698.

B. 4. Magister Girardus, qui *de infirmitatibus secundum viaticum* scripsit, Friedlaenderus non dubitat quin sit Girardus Bututus sive de Solo Montispessulanus, qui plerumque Expositor appelletur; cf. Simleri epit. bibl. Gesner. fol. 62b.

B. 6. Joannem de Sancto Paulo Gesnerus ibid. fol. 106 *natione Gallum* appellat, qui scripserit de morbis particularibus lib. I, de simplicibus lib. I et alia; eundem cum Plateario esse negat etiam Choulantus, qui de hoc pariter ac de Nicolao Praeposito pluribus egit in Jahrbuch für die deutsche Medicin 1838, p. 89 — 102; adde M. B. Lessingii Handbuch d. Gesch. d. Medicin T. I, p. 246 sqq.

B. 7a. De Aegidio Corboliensi turpiter neglexi Choulanti editionem Carminum ejus medicorum, Lips. 1826. 8, qui etiam monachum Benedictinum fuisse negat cum Naudaeo in Panegyri de antiquitate scholae medicae Parisiensis, 1628. 8, p. 20 sqq. Epitome tamen nostra nec illi innotuisse videtur.

B. 7b. Lilium medicinae est liber *Bernardi de Gordonio*, typis expressus Venet. 1494. fol. Cf. Friedlaenderi Vorlesungen über die Geschichte der Heilkunde, Lips. 1839. 8, p. 230.

B. 8. Verba fol. 53: *medicinae artis auctor* etc. sunt Isidori Origg. IV. 3 et 4, quae duo capita integra hic exscripta sunt; deinde sequuntur partes poëmatii medici, quod *S. Benedicti Crispi archiepiscopi Mediolanensis* nomine inscriptum publicavit Angelus Majus in Auctt. class. e codd. Vaticc. editorum Vol. V, p. 391 sqq. Incipiunt a cap. II *de dentium dolore*; deinde sequitur *ad dolorem oculorum*, quod illic est cap. IV, eique statim annectitur cap. VI *de angina gutturis*, sine inscriptione peculiari. Proximum est cap. IX, quod hic inscribitur *ad precordia*, idque excipit novum *ad epatis dolorem* incipiens:

Dum uitiatur epar glissitque ex more scirosis,

quod apud Majum arcte jungitur cum cap. XI *de splenis cura*, sicut vicissim in nostro codice nullo intervallo adhaerent quae illic novum caput XVII *de dysenteria* constituunt. Mox quae apud Majum cap. XVIII *de duritia ventris*, hic inscribuntur *ad constipationem*, itemque *ad calculum*, quae illic cap. XIX *de vesica* *); postremo cap. XXII *de haemorrhoide* in nostro quoque exstat, quo absoluto sequuntur versus *de judicio sanguinis* similes illorum, quorum principium exhibui in priori libello p. 30, aliaque *de nominibus et figuris ponderum*, quibus immorari nihil attinet.

B. 9. Versus: *collige triticeis* etc. praeter extremum exstant jam apud Choulantum ad Aegid. Corbol. p. 212.

---

*) Lectionis varietas *numine summi* etiam hic apparet; in cap. XXII autem, ubi Maji libri habent *iustus*, in nostro legere mihi videor *intus*.

B. 10. Rudolfum Kilchmatter sive Gilchmatter *Turicensem* potius quam *Thurgaviensem* dicere debebam pariter ac B. 17 *Christophorum Clauderum*, quem Friedlaenderus in Censura p. 344 acute intellexit *Clauserum* esse, magni Gesneri amicum, *der*, inquit, *von Ferrara aus seine denkwürdigen bibliographischen Bestrebungen mit Rath und That unterstüzte;* nec dubito quin idem sit B. 25 *Christophorus Klausen durecensis*, quem etiam librum de urina scripsisse videmus ex Halleri Bibl. med. pract. T. I, p. 531.

B. 11. Quod hic p. 19 suspicatus sum de *Johanne a Sancto Amando*, vanum esse intellexi ex Choulanti Jahrbuch 1840, p. 138 sqq.; quis autem fuerit *Johannes Abbas Constantini filius*, quamvis sedulo quaerens nondum invenire potui.

B. 12. Regimen tempore pestilentiae est *Canuti episcopi Aarhusiensis*, de quo accurate egit Choulantus Jahrbuch 1839, p. 129 — 133; etiam typis identidem expressum est saec. XV quanquam depravato nomine *Kaminti;* cf. Hain. Repert. bibliogr. T. II, P. 1, p. 213 sqq.

B. 16. De Bertrucio Bononiensi Friedlaenderus laudat Fantuzzium degli scrittori Bolognesi T. II, p. 157 et Mazzuchellum Scritt. d'Italia T. II, p. 1073, unde etiam intelligimus Fabricii judicium depromtum esse a Tiraquello de nobilitate p. 249. Spectat tamen hoc judicium solam *Introductionem in medicinam practicam;* nostra potius excerpta sunt ex *Collectorio artis medicae tam practicae quam speculativae* cujus editione Lugdunensi *(in edibus*

Jacobi myt sumptu honesti viri Bartholomei trot anno 1518. 4), quae penes nos est, cum manuscriptis comparata horum initium reperi fol. XV.

B. 18. Hujus codicis libros, et scripturae foeditate et argumenti ineptiis deterritus, negligentius tractaveram; nec nunc melius facere possum quam ut lectores ad amplissimos Mangeti thesauros remittam; aliquos tamen errores, quos codice denuo cum illius copiis collato deprehendi, silentio premere nolo. Sic principium *consilii conjugis* etc., quod illic exstat T. II, p. 235, rectius sic scribetur: *non legitur a diuina munificentia maius emanasse donum sapientia* etc. pariterque apud Geberum de investigatione veritatis ex Mangeto T. II, p. 891 *considerauimus in nostris uoluminibus* etc. nec dubito quin fol. 352 b pro *Rogero Kalith* legere debeamus *Regem Kalith*, quo is cognomine etiam apud Mangetum T. II, p. 189 appellatur. Quod p. 33 descripsi *correctorium fatuorum*, apud eundem T. II, p. 266 exstat hac inscriptione: *Richardi Anglici libellus utilissimus περὶ χημείας, cui titulum fecit Correctorium*, non tamen sine aliqua lectionis varietate, ut *augmentet* pro *augmentat*, *datis* pro *dictis* etc.; prorsus autem diversa est *correctio fatuorum*, quam Mangetus p. 165 sine scriptoris nomine edidit. Denique in extremo codice recte me legisse *Petrum de Zulento* Choulantus affirmavit, qui etiam *Salentinum* dici et circa finem Saec. XI vixisse monuit; recte autem hic alchimistis additur, qui imprimis libro *de artificio metallico philosophorum* notus est.

B. 20. Qui hic legitur *Rosarius abbreviatus*, exstat etiam apud Mangetum T. II, p. 133, nisi quod in nostro deest principium statimque incipit: *prima praeparaтitio* (sic) *et fundamentum artis est solutio* etc. Finis idem est: *videat lapidem in septem propositionibus notum et laudet deum.* Etiam *speculum alchimiae* cum *Rogerii Baconis* nomine ibidem est T. I, p. 613 — 616.

B. 21. Friedlaenderus p. 344: *dafs Filippo Buonaccorsi sein Talent dem Somniarium des Leo Tuscus zugewendet, lernen wir aus der dankenswerthen Mittheilung des Verfs.; es ist das selbst dem minutieusen Fleifse des Apostolo Zeno entgangen, der ihm einen äufserst sorgsam gearbeiteten Abschnitt widmet.*

B. 22. Cophonis *ars medendi* cum *anatome porci* novissime edita est Norimbergae et Altdorfi 1794. 8.

B. 26. Munificentiae viri illustrissimi et collegae conjunctissimi Chr. H. Buengeri, Med. D. et P. P. O. acceptum referimus codicem chartaceum saec. XV foliorum CCXLV formae quadratae, qui continet *a*) Isaaci librum diaetarum universalium, *b*) ejusdem librum diaetarum particularium, *c*) ejusdem librum urinarum, *d*) quaestiones in eundem. Auctor horum librorum idem est, de quo ad B. 22 agitur p. 39, *Abu Jacub Ishac Ben Soleiman* medicus Judaeus saec. X; cf. Sprengelii Gesch. d. Medicin T. II, p. 358 sqq. et Wüstenfeld. Gesch. d. arab. Aerzte p. 51; singulorum initia et fines haec sunt:

Inc. *Incipit liber dietarum universalium Ysaac.* In fine fol. 93: *Explicit liber dietarum vniuersalium scriptus et finitus per me Johannem dalde de embrica artium magistrum nec non medicinarum baccalaurium alme vniversitas studii coloniensis suppositum. Anno domini M. CCCC. nonagesimo vicesimo septimo die mensis martii . . . hora IX.* Fol. 94: *Incipit liber dietarum particularium.* In fine fol. 174 subscriptio eadem quae superius. Fol. 175: *Incipit liber vrinarum ysaac. In latinis quidem libris nullum auctorem potui inuenire* etc. Fol. 223 — 227 vacua sunt; fol. 228: *Queritur circa librum vrinarum ysaac vtrum calidum nostri corporis conseruat humidum* etc. In fine: *Expliciunt quaestiones super vrinas ysaac conscriptas per me magistrum johannem dalde* etc. ut superius, *die vicesima quarta mensis octobris quae tunc temporis erat dies dominica.*

CLASSIS TERTIA.

C. 3. In hujus codicis descriptione per negligentiam omissa est extrema pars, quae inde a fol. 308 continet Statuta provincialia dioecesis Moguntinae ex concilio a. 1310 a Petro Aichspaltero archiepiscopo habito una cum ejusdem edicto dato *anno domini M°. CCC°. XVIII°. VII. Idus Iunii.* Statutorum librum ex edit. Hagenoensi a. 1512 repetiit et cum Moguntina a. 1509 comparavit Jos. Hartzhemius in Conciliis Germaniae T. IV, p. 174 — 223, postremumque edictum ex ipso nostro codice a Schannato descriptum edidit ibid. p. 265 — 267; operae tamen pretium fuerit integra iterum cum manu scriptis comparare, quia vel leviter perlustrans non exiguam lectionis varietatem deprehendi. Summaria quidem et numeros capitum ab omnibus libris scriptis atque editis praeter Hagenoensem abesse jam Hartzhemius monuit, neque librorum divisio in nostro apparet; praeterea autem habet in fine prooemii *auctote* h. e. *auctoritate* pro *auctore*, mox in primi capitis initio *exquisitissimam* pro *exquisitam*, item p. 188 *cohabitationis vitium publice* pro *publice cohabitationis vitium* etc.

CLASSIS QUARTA.

D. 2. Glossarii, cujus hic mentionem feci, eam certe partem, quae vocabula germanica continet, integram describere placuit, ut cum iis comparari possit, quae quum ab aliis tum a Graffio in Diutiska et in Hauptii altdeutschen Blättern non sine magno harum literarum nunc maxime revirescentium commodo edita sunt. Latina fere ad verbum excerpta sunt ex Isidori Originum l. IX, c. 4 — 7 et l. XI, c. 1, unde etiam scripturae passim foede depravatae medicina petenda est, quanquam etiam ille hinc inde ex nostro illustratur aut suppletur.

Inc. *Coloni locatum agrum colunt* (suprascr. *anderes lant sezan*) *Inquilinus indigena* (suprascr. *inlendig*) *Urbanus opidanus* (suprascr. *burgere burgsezan*) mox: *libertus libertinus manumissus* (suprascr. *frigelazan frigelaten gefriethat*) *manumissor* (suprascr. *dator pacis*) *dediticius* (suprascr. *in hant gegan*). Deinde post aliquot lineas: *agnati* (suprascr. *.i. uader mage*) moxque: *cognati* (suprascr. *můder mage*) tum: *fratres de patre nati . aliquando gelanden . quos latini paternitates interpretantur . patrueles quorum patres fratres inter se fuerunt . fratrueles matertere filii* (suprascr. *hoc můmen sun*) etc. Cognationum nomina finiuntur his verbis: *Scemata* (leg. *stemmata*) *dicuntur ramusculi quos aduocati faciunt in genere cum gradus cognacionum parciuntur, ut puta ille filius ille pater ille auus etc. etc. Arrobo* (leg. *arrabo*) *datur pro coniugio dicta quasi arrabona et dos pronuba et paranimpha* (suprascr. *huuil scoperse*) *obstetrix matrona heimfrouua . mater unius infantis . mater familias plurimorum fratrissa fratris uxor*

Janitrices duorum fratrum uxores . Calus uiriferor (leg. *glos viri soror*) . *friuolum est cum eo* (adde *animo*) *separantur ut rursum ad se inuicem reuertantur . Repudium* sine explicatione. Deinde sequuntur corporis humani partes ita enarratae: *Capilli capitis pili* (suprascr. *hoiuedhar*) *Pili a pelle . Cesaries a cedendo uocata . Coma proprie sunt non cesi capilli* (suprascr. *hoc est lanc*) *graeci enim comas a secando comas* (corr. *comos*) *nominant . unde et cerin* (κείρειν) *tondere dicitur . inde et cirri uocantur* (suprascr. *.i. lebde loccas*) *quod idem etiam graeci mallonem* (μαλλὸν) *appellant . Crines* (suprascr. *wiffas*, quod haud scio an spectet verba Isidori: *propric mulierum sunt*) *quod uittis discernuntur dicti . timpora* (leg. *tempora*; suprascr. *theneben*) *sunt nuncupata quia mouentur . Uuultus gedana* (corr. *gedena*) *a uoluntate animi . tautonibus . ouer . facies ab effigie frons a foraminibus oculorum . Oculi quod superciliis* (corr. *ciliis*) *oculantur* (leg. *occulantur*) *Papilla a pauiditate dicta . et eadem et pupula . Conas* (suprascr. *ougan*) *Corona eo quod ambiat pupulam* (corr. *papulam*) *Palpebre a palpitatione . Lacrime a laceratione mentis . has graeci dacria* (δάκρυα) *dicunt . Maxille* (suprascr. *kinneben*) *propter diminucionem a malis . Mandibule partes maxille. Pinnula* (suprascr. *orlappa*) *ab acumine dicta . Nares dicte quia nos odore ammonent ut aliquid sciamus . olfecisse enim ueteres scisse dicebant Praecisores qui rem praecidebant canni* (leg. *canini* scil. *dentes*) *the mannes gethunge . Molares quod quasi molant atque inmassent . fauces quod per eas famur . artherie uintathren dicte quod per eas a pulmone aer fertur Tolles uocamus toxellas per diminucionem . que in faucibus turgescere solent . Mentum quod quidem mandibule ibi iungantur . Gurgulio a gutture nominata . Rumen uuasend hinc ruminacio sublinguium . thori dicuntur quod illic uiscera torta uideantur . idem lacerti .i. musculi . idem et uiscera . liganam* (num leg. *linguam?*)

thungan . Concubitus ellenbogo vel elen . quod in ipso cubamus . Ulnus secundum quosdam fathem . secundum quosdam elen . nam graeci ulenos (*ὠλένας*) *cubitos uocant . talias lenden . alen* (leg. *alae*) *oslen* (corr. *aslen*) *a similitudine alarum . eadem ascille quod ex eis barchia* (leg. *brachia*) *excillantur* (corr. *excellantur*) *id est moueantur . eadem et subhirci . Ungulas nagala . has graeci oniches* (*ὄνυχας*) *uocant . truncus tota medietas hominis . thorax graecum nomen* (*θώραξ*) *hoc burstlappa . quam latini arcam uocant . Pectus burstbein . siue una costa quod sit quasi pexum . Mamille per diminucionem a rotunditate . quasi male . papille warza quod eam infantes quasi palpent . dum lac sugunt . Lac a calore* (leg. *colore*) *dicitur quia leucos* (*λευκὸς*) *graeci album uocant . Ubera quasi lacte uberant . Arpina* (leg. *arvina*) *spune* (suprascr. *et aliquando nece*) *et liquamen nezethe . Pulla* (leg. *pulpa*) *orspinna et est illud durum in aure . lira* (leg. *dicta*) *quod palpitet eandem et viscum uocant quod glutinosa sit . Artus lidera et aliquando limus . dicti quod inuicem artentur . Conpago membrorum quod sibi compacta sint neruis . Uertibula uuirfbein . eo quod in flexionem membrorum uertuntur . Cartilagines dicte quod leni attritu carent dolore . Terga quia eis jacemus in terra . Scapula gescoldera . totum . Interscapilium medietas . Pale scolderen sic dicte quod in luctando eas premimus . nam graeci palin* (*πάλην*) *luctam nominant . Spondilia růkebein . Spina rukelendę quia radiolos acutos habet . sacra spina lendenbein hanc graeci geron osten* (*ἱερὸν ὀστέον*) *id est sacrum os nominant . eo quod haec a gentilibus diis hostia dabatur . Renes lenden . quia riui ab eis obceni* (leg. *obscaeni*) *humoris nascuntur . Lumbi hufbein ob libidinis lasciuiam . Umbilicus quod sit umbus illiorum* (leg. *umbo iliorum*) *sic uocatur . Ilium lanca et est graecum nomen . quia ibi nos obuoluamus . graece siquidem ileos* (*εἰλεός* a verbo *εἰλεῖν*) *obuoluere est . Clunes gofen quod*

sint juxta cxlxm *) . *Genitalia haec et pudenda haec et inhonesta .· et idem ueretrum quia uiri est tantum . Virus proprie humor fluens a natura uiri . Uiscus pellis in quo* (leg. *qua*) *testiculi sunt . Posteriora dicta quod retro sint . Meatus quod per eum meant .i. egerantur stercora . Coxe quasi conjuncte axes . Uertebra uuerfbran quod in eis capita femorum uertentur . Suffragines hammen quod subtus franguntur .i. flectuntur . Tibie scinkan quasi tube . Crura scina quia in his currimus . Bathma thioch . Thalus enkel a tolo nam tolus* (*θόλος*) *est eminens rotunditas . Pedes graeci podas* (*πόδας*) *dicunt. Plante pes antea a planicie . Uiscora beuillet flesc . dicuntur propter viscum quod est rinblood siue gillistr. Item uiscera intestina sunt .i. tharma . Item uiscera uitalia hoc est hart in nethre . Item uiscera capita neruorum ex sanguine et neruis copulata quod est scood liran . Idem thori .i. lacerti .i. senuliran . idem mus et per diminucionem musculi a similitvdine animalium sub terra delitencium dicti . Pulmonem graeci pleumon* (*πλεύμονα*) *uocant in qua* (leg. *quo*) *pneuma .i. spiritus inest . Jecor quod ex eo ignis in cerebrum subuolat . Fibre leueriu lapa . sic uocate quod apud gentiles in sacris ad phebi aras ferebantur . Stomachus graecum est et interpretatur os et subauditur uentris.*

Etiam poëma elegiacum medii aevi, quod in hoc codice exstat, integrum descripsi; concessi tamen apographum Ottoni Gissensi, qui illud cum aliis ejusdem aevi carminibus edendum suscepit, quapropter nunc pauca tantum, quae supplendae superiori notitiae inserviant, subjeci. Nimirum sero quidem comperi initium ejus usque ad v. 206 jam editum esse inter opera Hildeberti Cenomanensis ex ed. Ant. Beaugendrii Paris. 1708. fol., p. 1329

*) Lege *culum* secundum cryptographiam, de qua cf. Graff. Diutiska T. I, p. XI.

— 1332, nec qui novissime literarum Gallicarum historiam tractavit Amperius de eo auctore dubitasse videtur *); sed ut omittam omnino non omnium quae hic Hildeberto tribuuntur auctoritatem constare **), ipsum de quo nunc agimus carmen in codice Bibliothecae Paulinae Lipsiensis nomen Mauricii cujusdam gerit ***), atque illic pariter et in nostro tertioque Bruxellensi ****) longitudine aeque ac argumento tanto opere ab eo quod Beaugendrius edidit discedit, ut tota quaestio ad integrum redeat neque unquam fortasse, nisi etiam plura exemplaria inventa fuerint, ad liquidum perduci posse videatur. Continetur enim circiter mille ducentis versibus magnam partem Leoninis et initio quidem vitia saeculi, imprimis avaritiam et invidiam deplorat, deinde autem Orphei exemplo vim artium ita describit,

---

*) Histoire litéraire de la France avant le douzième siècle, Paris 1840. 8, T. III, p. 453: *une autre poésie satirique, dont Hildebert est l'auteur, est dirigée contre l'avarice universelle; elle est intitulée* de nummo. *Le titre fait penser au* dit des monnaies *sous Philippe-le-Bel; mais ici la satire est plus générale, elle s'étend à toute la corruption, à tous les desordres dont l'argent est le principe* etc.

**) Cf. Lessingii sämmtliche Schriften T. XV, p. 375 sqq. Histoire litéraire de France T. XI, p. 250 sqq. Wachleri Gesch. d. Liter. T. II, p. 256.

***) Sic Leyserus hist. poët. medii aevi p. 2092, qui secutus est Joach. Felleri Catalogum p. 299, n. 29; amicus Ottonis, qui ipsum codicem in hujus usum diligenter excussit, *Mamucii* potius nomen legit, quod tamen ad rem non multum interest. Codex est membranaceus Bibl. Univ. n. 1306 formae maximae, olim *Monasterii veteris celle sancte marie virginis*, saec. XIII vel XIV scriptus, ubi nostrum carmen legitur fol. 148 — 151.

****) Hujus notitiam debemus Theodoro Oehlero Moeno-Francofurtensi, viro eruditissimo et in antiquis Msptis imprimis versato, qui eundem librum esse narrat, unde Grimmius ante hoc triennium Ecbasin ediderit; cf. Lateinische Gedichte des X. u. XI. J. H. herausg. von Jac. Grimm und Andr. Schmeller, Gott. 1838. 8, p. 286 sqq.

ut dum omnia animalium plantarumque genera ad illius cantum audiendum convenisse fingit, fere totum historiae naturalis vocabularium comprehendat. Erat quum suspicarer me illud carmen tenere, quod Orphei nomine inscriptum aliquoties apud juniores grammaticos et medii aevi scriptores Lucano tribuitur *); sed quaecunque ex illo afferuntur, frustra apud nostrum quaesivi **), nec dubitari potest quin Christianus poëta fuerit, quamvis hoc paucis tantum in locis quasi nolens prodat, nunquam autem aperte prae se ferat. Barbarum passim invenimus sermone et verborum quantitate, neque tamen indoctum; ac si vel maxime sunt, in quibus ridiculam doctrinam ostentat, ut in Kalendis Caesaris et Socrate Thebano, tamen etiam prorsus singularia exhibet, ut Catilinam apud inferos punitum et Ismeniae tibicinis miracula. Sed singula melius ab Ottone exspectabimus; nunc illud tantum addo, eos versus, quos in priori catalogo extremos dixeram, rectius sic legi:

In cratere meo Thetis est conjuncta Lyaeo
Est dea juncta deo etc.

et novi potius carminis ab antecedente diversi principium constituere, de quo tamen, quia plurima evanuerunt, hoc solum

---

*) Cf. Lil. Gyrald. T. II, p. 259; Fabric. Bibl. lat. T. II, p. 150; Weichert. de L. Varii et Cassii Parmensis vita et carminibus p. 296.

**) Cf. Serv. ad Virgil. Georg. IV. 493: *gaudent a luce relictum Eurydicen iterum sperantes Orphea manes;* Aldhelmum de re grammatica et metrica in Maji Auctt. class. T. V, p. 545: *Nunc plenas posuere colos et stamina Parcae Multaque de latis haeserunt saecula filis;* Berger de Xivrey traditions tératologiques, Paris 1836. 8, p. 20 et 238.

dicere possum, et ipsum Christianam originem habere, si quidem *Phariseorum* nomen in sequentibus conspicuum est.

D. 4. Commentarium in apocalypsin ab aliis Remigio Autissiodorensi tribui cognovi ex Baehrii Geschichte der römischen Literatur im Carolingischen Zeitalter, Carlsruhe 1840. 8, p. 409 et 528, qui laudat Histoire litéraire de France T. VI, p. 113; ego quia hac operis parte careo, litem si qua est dirimere nequeo.

D. 7. Petri Alfonsi disciplinam clericalem, quam ineditam putabam, cum prolegomenis et annotatione germanico sermone conscripta edidit Frid. Guil. Valent. Schmidtius, Berolini 1827. 4; neque hunc, ut sibi videbatur, primum editorem fuisse, sed librum jam antea in Gallia publicatum esse audivisse arbitror; propiorem tamen hujus editionis notitiam consequi non potui.

D. 20. Ad hunc codicem haec annotavit Friedlaenderus: *Das Buch Theodosius de vita Alexandri wäre vielleicht einer detaillirten Beschreibung würdig gewesen, da bekanntlich gerade in unsern Tagen die Untersuchungen über diesen Sagenkreis, den Pseudokallisthenes, diesseit und jenseit der Alpen, besonders in Betreff des Verhältnisses des Julius Valerius zum Buche de proeliis, wieder aufgenommen worden sind*; cui ut gratum facerem, librum satis male scriptum paulo accuratius perlustravi; vereor tamen ne eorum exspectationem fallat, qui res fortiter factas virtutisque equestris portenta legere cupiant, qualia beata mediae aetatis vena in Macedoniae regem

congessit *). Quid quod ne illud quidem certum est num nugator Alexandrum suum Magnum illum esse voluerit; plurima certe ad hunc omnino non pertinent, totumque ex eo genere est, quod *allegoriarum moralizatarum* nomine appellatum etiam in Gestis Romanorum, quibuscum hic uno codice conjunctum est, apparet. Maxime nos advertunt scriptorum nomina, quos illa aetate lectos videmus; quamquam in his ipsis juxta Boëthium, Hieronymum, Justinum, Juvenalem, Ovidium, Plinium, Senecae epistolas, Tullium in Academicis occurrunt qui prorsus apocryphi dicendi sunt; pleraque autem tantis ineptiis scatent, ut excerpendi taedium ne superare quidem potuissem, nisi ad mores saeculi existimandos haec quoque pertinerent, quae monachorum calliditas ipsis illis equestris poësis commentis opposuisse videtur. Principium igitur hoc est:

Rex cecilie allexandrum ad conuiuium inuitauit et quid sibi ferre potuit sollicitus cogitauit eo quod non multum curauit de argento quoniam potissimus fuit In hoc seculo dictum est regi denique quod allexander multum gaudebat pulchras mulieres respicere Cum peruenisset allexander ad conuiuium fecit eum rex sedere Inter quatuor ducissas que fuerunt pulcherrime mulierum Una fuit ducissa Cicilie

---

*) Cf. Sainte-Croix examen critique des historiens d'Alexandre le Grand p. 163 — 166; Majum ad Jul. Valerium Mediol. 1817. 8; Berger de Xivrey Notice du Pseudo-Callisthène in Notices et Extraits T. XIII, P. 2, p. 162 sqq. Ouseley on some extraordinary anecdotes concerning Alexander, in Transactions of the royal society of literature 1829, T. I, P. 2, p. 5 sqq. Jacobs und Ukert Beiträge zur ältern Literatur, T. I, p. 371 sqq. Geier die Alexandermythen, in Illgens Zeitschrift für historische Theologie 1838, Fasc. III, p. 119 sqq.

Secunda ducissa prouincie Tertia ducissa arabie Quarta ducissa affrice Et dum allexander sedebat in conuiuio multum delectabatur In tam pulchro spectaculo Post prandium allexander ad cameram ductus est ubi mirabiliter paratus est lectus et In circuitu istius lecti erant quatuor cortine In quibus depingebantur quatuor mulieres mirabili pulchritudine In cortina ad caput istius lecti vna puella uidebatur depingi habens rotulum in manu sua Cujus scriptura talis erat Mundior sum arabia et super istius ymaginis obediencia Ad pedes istius lecti erat alia cortina In qua depingebatur alia puella tenens rotulum in manu sua Cujus scriptura talis erat Clarior sum affrica super capud istius ymaginis scribebatur Mundicia Ad dexteram partem lecti depingebatur in cortina alia puella tenens rotulum in manu sua Cujus scriptura talis erat Pulchrior sum cicilia Et super capud istius ymaginis scribebatur prudentia Ad sinistram partem lecti in cortina alia depingebatur alia puella tenens rotulum in manu sua Cujus scriptura talis erat Elegancior sum prouincia et super capud istius ymaginis scribebatur Amicicia Iste allexander in ista pictura tam fuit letus quod totaliter aliarum mulierum exstitit oblitus.

Deinde sequitur, ut in margine scriptum est, applicatio:

Iste allexander est dei filius qui ad conuiuium fuit inuitatus ad mundum ut genus humanum redimeret per antiquos patres fuit rogatus Per quatuor istas mulieres ducissas sedentes cum allexandro in conuiuio quatuor mulieres possunt Intelligi que quondam spirituales fuerunt cum deo in lege veteri Et potes dicere quod allexander ingressus est thalamum quum christus descendit in vterum virginis In quo thalamo depingebantur quatuor virgines quatuor scilicet virtutes Maria enim habebat ymaginem mundicie in puritate virginali etc.

Tum autem Alexandro prorsus relicto scriptor ad alias historias

fabulasque cum pari applicatione enarrandas transit, quarum principia tantum nonnulla subjicere visum est:

Fol. 74: *Commentator Juvenalis supra illud Juvenalis descendit de celo nochi solitos* (lege γνῶθι σεαυτὸν: cf. Juven. XI. 27) *dicit Notum oraculum appollinis fuit* etc. Fol. 75: *Legitur in historiis grecorum quod sardanapallus rex grecie ita incontinens fuit quod in sepulchro suo fecit scribi* etc. Fol. 76: *Secundum fulgentium et ysidorum ymago amoris fuit puer alatus quatuor alis* etc. Fol. 77: *Legitur secundum remigium in annalibus indorum Quod erat quaedam domina adamata et optata a quatuor regibus* etc. moxque ibidem: *Penitentia depingebatur In templo dee ueste ad similitudinem militis armati* etc. Fol. 78: *Secundum commentatorem boecii de consolacione Tres fuerunt famose vite apud antiquos* etc. et paulo post: *Tyberius de mirabilibus indie refert quod mundicia debuit probari in virginibus viduis et conjugatis in templo ueste* etc. In eodem verso: *Secundum ouidium de arte amandi amor efficit readamantes vnanimes in honore participes in labore excutit fastidium et incutit solatium* etc. Fol. 79: *Narrat ouidius magnus de bello troiano quod rapta helena prophetatum fuit quod ciuitas troiana non caperetur quousque mortuus esset achilles* etc. Fol. 80: *Refert romulus in annalibus indorum quod erat quidam tyrannus qui captus et infatuatus amore cuidam domine regnum suum ad tempus dimisit* etc. Fol. 81: *Legitur in cronicis quod anno ab urbe roma condita 23 populus romanus columpnam marmoream in foro romano statuerunt et ibi statuam Julii cesaris fecerunt* etc. In eodem verso: *Legitur in gestis romanorum quod erat quidam tyrannus nomine maxentius qui quosdam ciues romanos exhereditari conabatur* etc. Fol. 82: *Refert valerius ad rufinum quod pannicius venit ad vicinnum suum arrium flens* etc. et paulo post: *Narrat plinius quod*

est quaedam arbor in india etc. Fol. 84: *Legitur in cronicis et est tytus liuius et de gestis romanorum quod juxta palacium quod est juxta ecclesiam sancti augustini erat quaedam vorago* etc. moxque ibidem: *Depingebatur domina fortuna juxta sententiam ouidii de fallacia fortune* etc. Fol. 85: *Narrat alexander de naturis rerum libro 2º 4º capitulo quod in domo cuiusdam imperatoris erat lex* etc. Fol. 89: *Narrat alexander in quarto de naturis rerum quod palacium erat rome* etc. Fol. 91: *Refert troganus ponpegius libro 2º* (leg. Trogus Pompejus id est Justinus II. 2) *quod secta scitarum in tanta paupertate vixit* etc.

D. 21. De Johanne Nider rectiora nuper docuit M. Kochius, *Geschichte der Erfindung der Buchdruckerkunst, Wien 1840. 8*; distinguendi enim sunt duo ejusdem nominis homines aequales, alter theologus Isnyensis Suevus, alter astronomus Gamundia oriundus, quam tamen Kochius et ipsam Sueviae potius quam Austriae urbem esse statuit. — De cruore Bilsnacensi peculiaris exstat liber M. Ludeci hoc titulo: *Historia von der Erfindung Wunderwerken und Zerstörung des vermeinten heiligen Bluts zu Wilsnagk sammt den hierüber und dawider ergangenen Schreiben*, Wittenbergae 1586.

D. 37. Ex iis codicibus Corbejensibus, qui quamvis in vetere catalogo enotati tamen in nostras manus non pervenerant, duo rursus nobis restituti sunt munificentia et pietate Friderici Creuzeri Phil. Doctoris inque gymnasio Hersfeldensi magistri ordinarii, quorum prior chartaceus saec. XV per colum-

nas scriptus foliorum CCIX formae maximae ipsum *S. Thomae in Bursfeldia* nomen etiam nunc prae se fert. In primo folio haec scripta sunt: *In isto contenta: Glosa psalterii 4ta — Oratio dominica I — Septem psalmi penitencionales glosati II — Angelica salutatio exposita III — Super cimbalum* (sic) *apostolicum IV — Super aliquas dominicales epistolas pauli V.*

Inc. fol. 2: *Que sine fixione didici sine inuidia comunico et honestatem eius non abscondo* etc. Fol. 83 verso: *Oratio dominica commendatur in tribus In dignitate ffecunditate et breuitate* etc. Fol. 142: (D) *omine ne in furore tuo arguas me* etc. Fol. 146 verso: (A) *ue maria gracia plena* etc. Fol. 149: *Vinculis triplex difficile rumpitur funiculus iste* etc. Fol. 186: *Scientes quod hora est iam* etc. In fine: *hospitalitate set orbi.*

D. 38. Alter codex et ipse chartaceus saec. XV variis manibus scriptus foliorum CCCXC formae quadratae, licet praescriptionem non habeat, tamen nullus dubito quin pariter olim Bursfeldensis fuerit. Hoc enim et ipsum scripturae genus suadet et argumentorum similitudo, siquidem pleraque quae hoc volumine comprehenduntur eosdem auctores habent, quos in illo monasterio imprimis tractatos et lectitatos esse ceterorum codicum inde allatorum comparatio docet, Johannem Gersonem, Jacobum Hagenium Carthusiensem, Johannem Niderum, alios, de quibus quoniam in superiore catalogo affatim dictum est, nunc brevibus esse licet. Singula ex descriptione quam subjeci cognoscentur:

Fol. 4: *De lectione scripture sacre ex dyademate monachorum* (cf. sup. cod. D. 5 a). Fol. 5: *Omelia XXVI beati augustini ex libro qui intitulatur quinquaginta de silentio et sessione.* Fol. 7: *Incipiunt rubrice super tractatum de instructione seu directione simplicium confessorum.* Fol. 8 verso: *Prologus super* hoc tractatu *editus a domino anthonino archiepiscopo florentino ordinis predicatorum* (cf. sup. cod. D. 20). In fine fol. 97: 1472 *magd* (eburgi). Tum fol. 98: *Incipit sermo beati Johannis Crisostimi* (sic) *de penitentia* etc. Fol. 101: *Incipit Manuale confessorum venerabilis magistri Johannis nider sacre theoloie professoris ordinis predicatorum* etc. Fol. 155: *Incipit dyalogus rationis et conscientie magistri mathei de cracouia circa quotidianam celebrationem* (cf. sup. cod. D. 18). In fine fol. 173: 1472 *magd.* Deinde fol. 175: *Incipit tractatulus de confessione audienda multum vtilis cuilibet sacerdoti intitulatus de tribus personis* etc. In fine fol. 229: *Explicit tractatus cancellarii parisiensis Joh. Gerson . . . . . . M° CCCC LXV°.* Mox fol. 230: *Sequitur tractatulus de confessione doctoris eiusdem* etc. Fol. 235: *Incipit tractatulus cancellarii parisiensis de cognicione castitatis* etc. Fol. 242: *Burhus* (?) *de mortis memoria: Cum sum modo moriturus mihi christe ne sis durus in necis articulo* etc. versus quadraginta. Fol. 243: *Tractatus de ecclesiastico interdicto* (cf. sup. cod. C. 5). Fol. 247: *Tractatus de discretione peccatoris Joh. Gerson.* Fol. 261: *Collecta super incitatione ad digne sumendum corpus christi joh. Gerson.* In fine fol. 269: *Explicit tractatulus* de *digna praeparatione ad sacramentum.* In eodem folio verso: *Incipit tractatus beati Augustini doctoris eximii qui intitulatur de fuga mulierum seu honestate mulierum.* Fol. 271: *Tractatus b. thome de aquino de articulis fidei et ecclesie sacramentis.* Fol. 283: *Casus papales* etc. Fol. 294: *Incipit regula*

Christianorum a qua nullus talium excipitur etc. Fol. 306: *Sequitur tractatus eiusdem* (ab alia manu suprascr. *joh. gerson*) *de remediis contra recidiuum peccandi.* Fol. 309: *contra incautas familiaritates virorum religiosorum et muliercularum.* Fol. 322: *Epistola beati Jeronimi ad Occanum contra familiaritatem clericorum et mulierum.* Fol. 324 verso: *Remedia contra luxuriam.* Fol. 327 verso: *Ex speculo vincentii morali libro tertio de fugienda societate mulierum.* Fol. 332: *Ex floribus beati Jeronimi capitulum III de castitate.* Fol. 335: *Sequitur tractatus doctoris jacobi carthusiensis de receptione et clausura monialium.* Fol. 344 verso: *Sequitur planctus super errores multorum christianorum doctoris jacobi carthusiensis.* Fol. 347: *Cum quodam tempore tumultibus actionum manualium superatis me contra recollegissem et locum silentii petiuissem* etc. In fine fol. 360: *Explicit tractatus de cogitationibus et earum qualitate doctoris jacobi carthusiensis anno domini 1467.* Fol. 361: *Incipit tractatulus doctoris jacobi carthusiensis de coniuratione spirituum.* Fol. 378: *Epistola bonauenture pulcra* etc. Fol. 383: *Incipit tractatus de modo orandi Joh. Gerson cancellarii* etc. Extremis paginis multa in fugam vacui illita sunt, quorum tamen aliqua etiam hic mentione digna videntur, ut v. c. mirum illud: *Anno M.C.XXX tempore Conradi imperatoris Johannes de temporibus obiit qui annis CCC.LXI vixerat a tempore karoli magni cujus armiger fuerat;* deinde: *Anno domini 1475 prope festum sancti luce captus fuit quidam presbiter nomine johannes weymgrod . . . . plebanus in gottingen ad sanctum spiritum propter quaedam clenodia sibi impignorata per dominam principissam quae reddere pro pecunia exposita distulit et idem tunc per principem incarceratus ad duos menses sedit uinculatus* etc. postremo haec chronicorum domesticorum rudimenta: *Anno etc. lxxvj fuit magna nix — Anno*

lxxvj fuit magna et frigida hyemps cum magna niue durans a festo andree vsque palmarum sine cessatione. Interuallum tunc erat vjjj ebdomadum — Item eodem anno circa festum epiphanie fuit interfectus in proelio dux Burgundie a duce lotharingie — Anno domini m cccc lxxix in die nerei et achillei wilhelmus dux in brunswig cum adiutorio hassorum captiuat plus quam octingentos de ciuitate einbecensi et plus quam centum ibidem fuerunt occisi qui dederunt xxx florenorum pro sua liberatione et capti fuerunt vsque natiuitatem (?) domini bombardas et omnia arma in campo amittentes sic quod omnia damna eis inde venientia computabantur ad C florenorum — Anno 1483 obiit dominus henricus hagen plebanus in hardegessen 35 annis in profesto — Item 1491 in die perpetue et felicitatis in christo obiit mater mea — Item 1495 obiit soror mea katharina cum marito et pueris in secunda feria pasce quae fuit tertia die ante georgii — Item 1514 (?) circa festum johannis baptiste fuit occisus dux henricus filius wilhelmi in frisia.

His praemissis ad illa redeo quae omni huic scriptioni occasionem dederunt. Jam enim instat finis anni, quo mihi iterum fasces academiae nostrae commissi fuerunt; quem etsi aerumna et sollicitudine neutiquam caruisse probe sentio, tamen eo majorem gratiam habeo supremo numini, quod et mihi vires ad hunc laborem exantlandum addidit, et tota academia salva ac sospite constituta Serenissimi Principis illustrissimorumque ejus consiliariorum in nos benevolentiam ratam firmamque esse jussit. Nec profecto desunt argumenta, quibus hoc quoque anno Celsissimi Domini munificentia et in me ipso et in universis academiae nostrae rebus promovendis luculentissime apparuit; si quidem mihi stipendium insigniter auctum est, ipsum autem collegium nostrum gratissimam accessionem accepit virorum clarissimorum ac doctissimorum Roberti Bunsen, qui postquam per biennium chemiam extra ordinem docuit, jam ad ordinarii professoris locum evectus est, et Brunonis Hildebrand, qui Vratislavia ad nos evocatus inde a proxima hieme cameralium disciplinarum

cathedram per octo amplius annos vacuam explebit et ornabit; postremo vir experientissimus Theophilus Kürschner, qui medicinam privatim apud nos tradiderat, eandem jam publice extra ordinem profitetur. Privatim docentibus accesserunt Leopoldus Steinfeld, juris utriusque doctor et in tribunali Marburgensi auscultator, et medicinae doctores Ferdinandus Robert et Constantinus Zwenger; ex eorundem numero discessit Georgius Adelmann, qui ad medicinam chirurgiamque docendam in Dorpatensem academiam invitatus est. Ceteros omnes, quicunque apud nos literas bonasque artes docent atque tractant, salvos et integros retinuimus, uniusque horum etiam sacra semisaecularia celebravimus, Nicolai Beck, musicae academicae praefecti, quem per hanc occasionem amplissimus philosophorum ordo ad summos in sua arte honores promovit; funus unum tantum lugemus quamvis acerbissimum Conradi Lederer, qui quum vix triennio academiae oeconomus fuisset, morte non magis repentina quam immatura abreptus maximum sui desiderium reliquit. Sed hoc quoque damnum pariter ut alia, quae etiam nunc desiderari apud nos posse videantur, resarciet, spero, proximus annus, cujus faustissima auspicia nunc maxime indico; cujus anni regimen quum die hujus mensis XII suscepturus sit successor meus rite creatus et a Clementissimo Principe confirmatus, vir summe reverendus, magnificus

FRIDERICUS GUILIELMUS RETTBERG,

THEOL. D. ET P. P. O.

hujus inaugurationis ceremoniis ut frequentes adesse, me illumque orantes audire bonaque vota concipientibus favere velint *Professores omnium ordinum, summe reverendi, illustres et consultissimi, experientissimi, excellentissimi, quotquot praeterea in quocunque honoris ac dignitatis gradu constituti bene Academiae cupiunt et bonis artibus favent, juvenes denique disciplinae nostrae traditi ornatissimi et suavissimi,* ea qua decet humanitate atque observantia oro rogoque.

P. P. Marburgi Non. Sept. a. MDCCCXLI.